UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XXVIII. Plurimis Patrum testimoniis hæc divina animæ cum Christo in venerabili Eucharistiæ Sacramento Vnio confirmatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

pietis ſpiritum veſtrum & carnem veſtram meæ carni ac Divinitati intimè eſſe unitam.

Ac demum experiemini, quòd ego etiam ſim in vobis, id eſt, vobis omnino per interiorem amplexum unitus, ita ut verè poſſit dici, quòd vos, qui manducatis meam carnem, & bibitis meum ſanguinem, in me maneatis, & ego in vobis, quod commune eſt omnibus digne ad me accedentibus; ſed & ulteriùs in illo die cognoſcetis, quòd ego, qui à Patre proceſſi, maneo in vobis, & vos in me: quæ quidem cognitio, quæ purioribus animabus contingit, nihil aliud eſt quàm cognitio experimentalis, & perceptio Chriſti realiter uniti cum ipſis: de qua unione, ut *alibi* dixi, intelligenda ſunt illa verba: *Rogo Pater, ut unum ſint, ſicut ego & tu unum ſumus.*

Hæc quidem interpretatio manifeſtè colligitur ex ſequentibus verbis, *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, hic eſt, qui diligit me, & Pater meus diliget eum, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Non ſolùm, inquit, Pater diliget mandata mea obſervantes, ſed & ego etiam, non ut DEUS tantùm, ſic enim una & eadem dilectione cum Patre diligo; ſed ut homo etiam mea charitate, quam ut homo habeo, eos diligam, non tantùm continuando amorem, ſed novis ſemper cumulando beneficiis, quibus multifariam & continuò meos afficio amicos, inter quæ præcipuum illud eſt, quòd & manifeſtabo eis meipſum. Quæ quidem promiſſio cùm non ſolùm de Diſcipulis, ſed etiam de omnibus perfectè Chriſtum diligentibus intelligatur, non video de alia manifeſtatione locum hunc interpretari poſſe, quàm de ea, qua Chriſtus ineffabiliter in hoc Sacramento aliquando ſanctiſſimis animabus per divinum illapſum ſe manifeſtat, ac percipiendum per unitivum amplexum ſe præbet.

Confirmantur prædicta SS. Patrum aſſertis.

Ex Patribus S. Hilarius *lib. 8. de Trinit.* hanc unionem animæ cum Chriſto *naturalem* appellat, quia realiter caro & ſanguis Chriſti cum ſuſcipiente unitur & conjungitur, ita ut cum ipſo in ſuſceptione iſtius Sacramenti non ſolùm conſenſa charitateque, ſed re etiam vera unum ſimus cum ipſo.

S. Cyrillus *lib. 10 in Joan. cap. 13.* multa in hujus ſententiæ confirmationem adducit, cujus tantùm aliquot verba recitabo, omiſſis multis aliis ad rem hanc pertinentibus. *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Unde conſiderandum eſt, non habitudine ſolùm, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verùm & participatione naturali: nam quemadmodum, ſi quis igne liquefactam ceram alij ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, ut unum quid ex utriuſque factum videatur; ſic communicatione Corporis & Sanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo.* Vide qualem unionem ob permanentiam noſtram in Chriſto & Chriſti in nobis exponat.

S. Joannes Chryſoſtomus *Homil. 45.* in Joan. *Ut autem non ſolùm per dilectionem, ſed etiam re ipſa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt: cùm enim ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobiſcum redegit, hoc enim amantium maximè eſt.*

Simile eſt quod S. Ambroſius *Serm. 90.* de ſancta Agnete refert dixiſſe eam, cùm jam moritura Chriſti Corpus accepiſſet. *Nunc*, inquit, *Corpus Domini mei corpori meo aſſociatum eſt, & Sanguis illius ornavit genas meas.*

S. Gregorius Nyſſenus *Homil. 8.* in Eccleſiaſtem: *Propterea nobis ſeipſum comedendum proponit is qui ſemper eſt, ut cùm ipſum in nobis ipſis acceperimus, illud ſiamus quod ille eſt.*

Hæc & ſimilia alia apud antiquos Patres paſſim repetita invenies, quibus unionem realem & naturalem, non ſolùm quæ per affectum charitatis fit, ſed & eam, quæ reali & conſummata unione non ſolùm affectu, ſed effectu perficitur, manifeſtè docent. Quorum quidem ſententia licet difficilis & falſa videatur, ſi ad omnes dignè Chriſtum in Euchariſtia ſumentes referatur (conſtat enim non omnes percipere hanc realem cum Chriſto unionem ſive manifeſtationem.) Veriſſima verò apparet, ſi tantùm ad eos, qui defæcatis mentibus angelicâ puritate præſtantes Chriſtum in venerabili hoc Sacramento abſconditum recipiunt, quibus Chriſtus ipſe manifeſtatur; eisque ineffabili modo unitus ab ipſis ſuaviſſimè percipitur & deguſtatur, ut *ſequenti capite* latiùs exponemus.

De quibus hæc ſint intelligenda.

CAPVT XXVIII.

Plurimis Patrum teſtimoniis hæc divina animæ cum Chriſto in venerabili Euchariſtiæ Sacramento Vnio confirmatur.

NOn deſunt etiam quamplurima aliorum ſanctorum Patrum teſtimonia, qui plenius ac clariùs hanc realem animæ cum Chriſto unionem explicarunt.

De hac unione expreſsè loquitur S. Thomas *Opuſc. 60. Grad. 7. & 8. amoris divini*, dum ita inquit: *Cùm ſenſeris tactu, qui cognoſcit de proximo, & in conjunctione maximâ, labia illa JESU, labia illa diſtillantia myrrham primam, vel non myrrham, ſed melliſ ſtillam primam, polluta olim animæ tuæ labia non abominari, ſed mirabiliter ipſis imprimi, ineffabiliter oſculari quaſi oblita innexionis, Exploratores eſtis, oblita comminationis, Per ſalutem Pharaonis non exibitis. Deinde & quaſi oblita juſſionis, non judicem, vel magnum pratendere metuendum, ſed ſponſum amantem tenerrimè & teneriter reamandum. Poſt quæ*, inquit, *auſi ſunt loqui ad eum, ſic audet illa, quæ loquitur: Oſculetur me oſculo oris ſui.* Hæc D. Thomas: Quibus verbis alludit ad Hiſtoriam Joſeph *Gen. 55.* Quando poſt minas & terrores fratribus ſe manifeſtans, eos ſuaviſſimè eſt amplexatus.

Et *infrà* idem D. Thomas: *In præcedentibus ergo gradibus anima amat & amatur, quærit & quæritur, vocat & vocatur: in hoc autem gradu, quodam miro & inæſtimabili modo rapit & rapitur, tenet & tenetur, ſtringit & ſtringitur, & una ami per amoris copulam ſociatur.*

Dionyſ. *Amor eſt copula amantis cum amato.* Et poſt pauca: *Nec talis copula hæc, ſed omnem artem & facultatem tranſcendens, copulat animam DEO, creaturam Creatori, finitum infinito, ſemper congruè, ſemper verè, ſemper benè. Hoc igitur eſt adſtringere.*

S. Macarius *Homil. 4.* præclarè de hac reali & arcana cum Chriſto in Sacramento unione diſſeruit, dicens: *Permiſcetur & apprehendit ſanctas animas ſibi pergratas atque fideles, ſitque ſpiritus unus cum illis, ut Paulus eloquitur; atque, ut ita dicam, animas vadit in animam, & ſubſtantia in ſubſtantiam, quò poſſit anima in novitate vivere, vitamque immor-*

talem sentire, & particeps fieri æternæ gloriæ. Ita nempe anima, quæ DEO digna est, & illi perplacet.

Et infrà: *Quo pacto ars infinita & inenarrabilis multiformis sapientiæ* DEI *creavit ex his, quæ non erant, tam illa quæ asperiora sunt, quàm subtiliora & simpliciora corpora subsistere fecit voluntate sua. Quantò magis ipse, qui est ut libet, benignitate indicibili & bonitate incomprehensa ductus, se transmutat & demittit, atque similem animarum sanctarum & fidelium seipsum reddit, assumpto (quoad fieri potest) corpore, ut perspiciatur ab illis, qui alioqui invisibilis est; & palpetur, qui secundùm naturam subtilitatis suæ palpari non potest, & ita gustent suavitatem ipsius, & dulcedine lucis arcanæ oblectationis experientia ipsa fruantur.*

Et post pauca: *Perfacilia sunt ei omnia, qui se in quælibet transmutat in gratiam fidelium: & eo dignarum animarum, modò quis det operam, ut amicus & pergratus illi fiat: qui quidem experientia ipsa & sensu percipiet cœlestia bona, & delicias inenarrabiles, divitiasque Divinitatis verè immensas: quæ quidem omnia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: sitque Spiritus Domini in requietem, exultationem, delicias, & vitam æternam animarum dignarum: seipsum enim format Dominus in escam, sicut scriptum est in Evangelio: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum; ut inenarrabili modo tranquillet & impleat animam lætitia spirituali: ait enim, Ego sum panis vivus. Itidem transformat se in potum cœlestis potionis, sicut dixit: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et *omnes, ait, eumdem potum spiritalem biberunt.*

Et iterum: *Igitur unicuique sanctorum visus est* DEUS *quemadmodum ei libuit, nempe ad salutem & requietem, & ut illos ad cognitionem* DEI *perduceret. Nam omnia quæ vult, sunt ei perfacilia; & quando illi videtur, seipsum demittendo incorporat & transformat, conspicuum se exhibens diligentibus illum in gloria luminis inaccessa, pro multa & inenarrabili dilectione apparens his, qui digni sunt, secundùm ipsius virtutem.* Hactenus magnus ille Monachorum Pater MACARIUS, qui præcedenti sententia præclarè loquitur de unione cum Christo, in quantum Christus in Sacramento est cœlestis animarum cibus.

Divus quoque Bonaventura *Itin. 6. ætern. dist. 6* uberiùs docet qua ratione Christus experimentali perceptione in hoc Sacramento à veris amatoribus per unitivum amplexum attingatur & teneatur. *Quarto*, inquit, *JESUS panis Sacramentalis. Cùm sis summa attingentia, quia ipse se dat in cibum, & manet in cibato, & cibatus in eo, ut dicitur Joan. 6. & hoc in maxima charitate, ubi sit verissima attingentia animæ & DEI spiritualis. Sed notandum quod Hugo in lib. de Arca Noe 1. dicit sic: Ad* DEUM *attingere, est semper per desiderium eum quærere, & per cognitionem invenire, & per gustum tangere. Ex quo patet quòd attingentia ista habet quosdam gradus, per quos* DEUS *acceditur, & invenitur, & attingitur; non accessu locali, nec tactu corporali, sed similitudine spirituali acceditur ad* DEUM, *& dissimilitudine à* DEO *receditur, ut dicit Augustinus lib. 6. de Trinit.*

Primus igitur gradus est, quo DEUS *attingitur, cùm per desiderium quæritur: quamvis enim attingitur* DEUS, *ut desideratur, secundùm aliquid, ut præsens non habeatur; tamen necesse est ut etiam secundùm aliquid præsens habeatur, aliàs non desideraretur. Dicit enim Gregorius in Homil. Profectò qui* DEUM *desiderat, jam habet quem amat; & tamen habitus amplius quæritur, quia sine fine est quærendus, qui sine fine est diligendus. ut ait Augustinus, exponens illud Psalmi: Quærite faciem ejus semper.*

Secundus gradus quo DEUS *attingitur est, cùm per cognitionem invenitur. Cognitio enim est actus vitalis: actus autem vitales attingunt sua objecta, ut dictum est suprà, aliàs dilectus non diceretur dilecta: Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, in. Intelligentia tua penetrante, ait Vercell. Sed attingentia manet imperfecta, nisi id quod præsens est cognitioni, fiat præsens voluntati amantis. Quia Augustinus dicit, quòd quidam* DEUM *cognoscunt, qui tamen* DEUM *propter hoc non habent; quia si eum, ut* DEUM *cognoverunt, non tamen ut* DEUM *glorificaverunt, ait Apostolus.*

Tertius gradus quo DEUS *attingitur, est, cùm* DEUS *per amorem tenetur & amplexatur, & spiritualiter manducatur. Hi autem actus & gradus sunt principaliter ipsius affectus & voluntatis. Unde Augustinus dicit, quòd voluntas habet unum proprium actum, qui est actus tenendi sive amplexandi, & quasi possidendi; quos actus non potest habere intellectus: nam possessio non est intellectus cognoscentis, sed voluntatis habentis: sicut sanitas sani non est Medici cognoscentis, sed sani eam habentis. Unde & actum gustandi non habet intellectus, sed voluntas; quia gustus est in charitate sicut dicit Richardus. Sed charitas vel dilectio est actus voluntatis. Nam sicut dicit Richardus: Sicut* DEUS *per memoriam auditur, & per intelligentiam videtur, ita per affectum amplexatur & attingitur. Hunc tactum spiritualem experta fuit, qua dixit: Læva ejus sub capite meo. Læva nomine intelliguntur splendores intellectus speculativi, qui ad gustum viatoris pertinent. Dextra nomine, quæ patriam significat, intelligitur superintellectualis unitio ad* DEUM, *quæ speculum nescit, & quasi ad præmium inclinat, tamquam arrha & pignus, nec auferetur; quare dixit sponsa: Tenui eum, nec dimittam illum post tam excessivos amplexus & ineffabiles. Hæc Vercell.*

Et inferiùs prope finem addit: *Unde & Richardus lib. 1. de Trin. cap. 3. dicit: Non debet nobis sufficere illa æternorum notitia, quæ est per fidem solùm, nisi & apprehendamus illam; quæ est per intelligentiam, si modum sufficimus ad illam quæ est per experientiam.* Hæc ille.

Idem quoque Auctor *dist. 7.* hanc suavissimam Christi in hoc Sacramento prægustationem explicat, dicens: *Septimò videndum est, qualiter spiritus noster ad veniendum per iter experimentalis prægustationis æternorum ad intrinsecum Domini* JESU *invitatur ab ipso dicente: Surge, propera amica mea, columba mea, & veni, & hujus invitationis subjungit allectivum, dicens: Quia ficus protulit grossos suos, id est, quia jam est desiderati viatici optata suavitas. Tunc namque est itinerandi securitas, quando itinerans suaviter reficitur, & itinerantis virtus augmentatur, donec cum Prophèta ad montem* DEI *Horeb perveniatur. Dicit igitur, O anima mea, propter experimentalem mei manducationem. Nonne comedisti favum meum cum meo, id est, dulcedinem Divinitatis cum corpore & sanguine meæ humanitatis. Hoc enim proprium est amicis meis, ut comedant & bibant, & inebrientur charissimi, ut Corpus meum comedant, & Sanguinem meum bibant, & experientia intima mea Divinitate inebrientur. Hoc enim proprium est electorum, dicit Haymo super Apocal. Surge ad meam experimentalem cohabitationem, ut ubi sum ego, & tu sis, quia ex hac manducatione mei, tu manes in me, & ego maneo in te, tamquam mihi jam incorporata.*

Et

Et paucis interjectis, iterùm inquit: *O formosa mea, propter experientia tua radiosam multiplicationem! experiris enim me, te visitante post parietem stantem, per cancellos prospicientem, in montibus salientem. Item experiris me te alloquentem, te odore meo semper attingentem, te resilientem & amplexantem*, &c. *ut patet in Cantico amoris per totum.*

Joannes Gerson expressiùs aliis hanc unionem fruitivam & experimentalem animæ cum Christo docuit *Tom. 3. tract. 9.* super *Magnificat*, part. 3. *Contemplabatur*, inquit, MARIA *existentiam mirabilem Filij in hoc Sacramento, quem visibiliter tractaverat cum blanditiis & osculis suavissimis in gremio corridentem. Credebat hoc idem sibi licere nunc, quamvis alio modo, sed non minori merito. Osculatur, tangit, & quod sibi tunc non licuerat, corporaliter manducat & bibit, & accipit vitam: nam qui manducat me*, inquit, *& ipse vivet propter me. Grandem rem tibi, ô anima Christiana, grandem nimis æstimasses, si Virgo benedicta posuisset olim filium suum in gremio tuo, si concessisset amplexum & osculum: sed habes hic rem suo miraculo & merito grandiorem. Eia nunc, ô anima, canta Cantica canticorum, quæ suspirabunda petebas, Quis det mihi te fratruelem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te, & jam nemo me despiciat? Ecce foris, & verè foris à nemine visibilis, dat te solum tibi, dat ut osculeris eum: fac quod sequitur, Apprehende eum, & introduc in domum conscientiæ tuæ, quæ est domus sapientiæ matris tuæ. Illic docebit te, Da & mihi potum ex vino conditum devotionis tuæ, da mihi mustum malogranatorum tuorum fervida dilectionis.*

Et iterum infrà: *Contemplabatur MARIA existentiam filij sui vivaciùs per intelligentiam, quàm per solam fidem; & nullo modo imaginationem admittebat, immò nisi rationem. Percipiebat insuper præsentiam ejus per amoris sentimentum & complexum.* Hæc ille. Ecce qua ratione beatissimam Virginem in sumptione hujus Sacramenti Christo intimè fuisse unitam, ac ejus præsentiam per amoris sentimentum ac complexum percepisse, rectè docet; quod fieri nequit sine unione & reali conjunctione cum ipso Christo.

Idem Auctor *eodem Tract. 9. part. 4.* effectus ineffabilis hujus Sacramenti enumerat, quos ad duodenarium numerum reducit, & his tribus carminibus apprimè comprehendit:

Duodecim eximij Sacramenti Eucharistiæ effectus.

Restaurat, satiat, delectat, roborat, auget,
Obdormire facit, caro servit, mens dominatur,
Vim genitivam dat, transformat, inarrhat, & unit.

Exponens igitur prædictus Auctor mirabiles hos Eucharistiæ effectus, ac ad hanc animæ cum Christo in hoc Sacramento unionem perveniens, ita scribit: *Hic finis, hoc complementum omnium quæ dicta sunt aut dici possunt super cibi istius laudibus, fructibus, & effectu. Totus ob hoc mundus creatus est, exterior & interior. Ad quid, inquies? Certè ad unitatem, ut omnia sint in unum consummata; hoc est illud verbum, de quo Christus: Porrò unum est necessarium. & divinus Dionysius: Omnia unum participant. Denum & ipse Theologiam suam mysticam in unione supra mentem constituit. Unionem hanc præposuit sponsa pro fine dilectionis sub osculi nomine, Osculetur me osculo oris sui.*

Et infrà: *Postremò, quia transiturus erat ad Patrem, etiam corporaliter videntibus Discipulis, quibuscum erat humillima creaturarum* (loquitur de B. Virgine) *reliquit hoc pignus dilectionis, hanc arrham Eucharistiæ, qua nos consummet in unum. Nam quid dici potest unitius, quàm, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. De inesse & mansione super admirabilis prorsus ista sententia: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, nec minùs admiranda simul & amplexanda, quæ sequitur: Sicut me misit vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Denique subditur: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Et quoniam alio tempore & loco Christus ait: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Et iterùm de diligente se: Et Pater meus, inquit, diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Subdamus aliqua de hujusmodi mansione, per quam noster Emmanuel, (quod interpretatum est Nobiscum DEUS) manet in manducante, & manducans in eo.*

Multis variisque nominibus hæc animæ cum Christo unio designatur.

Explicatis deinde aliquibus mansionum generibus, ita scribit: *Dicitur (exempli gratia) mansio DEI in homine, & hominis in DEO, ut hic: Dicitur vivificatio, & habitatio vitæ æternæ, saltem in radice, ut hic: Vivet in æternum, quia suam gratiam habet. Dicit autem Apostolus, quòd gratia DEI est vita æterna. Dicitur & osculum oris sponsi, quod petit sponsa. Dicitur lac, & vinum, & unguenta, & oleum effusum, & tractus, & pulsus ad sponsum. Dicitur introductio in cellaria, conjunctio dilecti inter ubera sponsæ tanquam fasciculus myrrhæ. Dicitur sum decor, sua quies in lectulo florido. Hoc est donum perfectum desursum descendens, non ascendens de deorsum. Hæc est sapientia divinitus inspirata cum suis laudibus universis. Hoc divinum silentium, hoc sibilus auræ tenuis, hoc susurrium verbi absconditum. Hoc vox quasi aurea lenis, immò & tonitrui magni, & ut ad unum colligamus innumera, quidquid sonat mansionem, vel habitationem, vel inhæsionem, vel unitatem unius corporis & unius spiritus, animæ cum DEO, sponsæ cum sponso, unitæ cum unito, sub gratiæ gratificantis nomine & radice principio formæ, & sine unico vocabulo datur intelligi, quod est, manere in Christo per mutuum gratiæ complexum.*

Addit præterea, infrà dicens: *Mansionis hujus conveniendam gratuitam profectò felix, qui possederit habitualiter, felicior qui actualiter cum habitu; sed felicissimus, qui revelata facie transformatus fuerit in eamdem imaginem de claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu actus, ductus, & tractus, ita quòd sentiat per illuminatos cordis oculos (sicut imprecatur Apostolus) supereminentem scientiæ charitatem Christi, hoc est gratiam hanc conjungentem & charam unitatem ad simplificam Deitatem. Multi quidem sunt qui habent in habitu, sicut pueri noviter baptizati: multi qui in actu possident, & exercent, dum merentur: sed paucissimorum est, sentire distinctè & apertè nexum istum, mansionem istam; vocem istam, propter occursationes curarum in memoria, phantasiarum in intelligentia, & concupiscentiarum (quamvis minimè criminalium) in volitiva, vel affectiva.*

Sentiunt hanc gratiam inhabitationis Christi & Spiritus sancti, qui cum Apostolo mente excedunt DEO. Præterea sentiunt operationem intra se verbi DEI, de quo dicit idem Apostolus, quòd vivus est sermo DEI, quia loqui potest cum quolibet; & efficax & penetrabilior omni gladio ancipite, quem gladium venit Christus mittere in terram, ut pertranseat usque ad divisionem animæ & spiritus, & feratur spiritus sursum, & anima maneat deorsum: quod fieri nequit, nisi maxima pax fuerit & silentium, tam sursum quàm deorsum, nisi præterea fuerit divisio compagum, &

ma-

medullarum, & cogitationum, & affectionum naturalium sese complectentium. Fiat etiam discretio cogitationum & intentionum simplicium naturaliter acquisitarum, vel acquisibilium, & remaneat in sentimento & experientia solus felix iste & gratuitus Deiformis illapsus & influxus Spiritus JESU Christi, plus supereminens in spiritu & mente super animam, quàm distat cœlum à terra. Dicimus operationem vitalem non ita penitùs esse eamdem in spiritu, vel cum spiritu anima. Sentiunt hanc gratiam actualem & experimentalem non quidem omnes, qui dignè manducant Corpus Christi, & in quibus manet Christus, & ipsi in Christo sicut modò dicebamus. Hactenus Gerson, quibus præclarè unionem ineffabilem animæ cum Christo, non omnibus dignè suscipientibus, sed Seraphicis mentibus concessam exposuit.

Mirifici ac multiplices fructus dignæ Communionis.

Nec minùs præclarè Dionysius Carthusianus *Serm. 4. de Festo Corporis Christi* de hac unione divina & ineffabili disseruit. *Si ergo*, inquit, *ita sollicitus fueris semper omnem culpam vitare, omnem obicem removere, teque mundum receptaculum exhibere; senties & experieris certissimè præclaros & glorioſos hujus Sacramenti effectus. Intrabit ad te, & introibit in animam tuam intellectum atque affectum in viscera spiritus tui Christus, virtus & sapientia DEI Patris cum effusione & communicatione opulentiæ suæ, ostendet oculis tuæ mentis divitias gloriæ suæ, quemadmodum animæ S. Agnetis, quæ dixit: Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos se mihi daturum, si ei perseveravero, repromisit. Veniet & ad te Sol sapientiæ cum emicatione largissimæ illustrationis superna, cum luminoso fulgore illuminabit oculos cordis, ut consideres atque intelligas mirabilia legis suæ, & habeas fidem cum rationibus credendorum, ac depurata intelligentia mentis. Sic illuminatus ac specialiter introductus in sanctuarium DEI, in lucu incircumscriptæ abyssum, circumdatus lumine intuberis connexionem & ordinem, consonantiam, rationes, fundamenta ac firmamenta fidei tuæ, apparebitque tibi; & verò sic est, quòd nihil sit rationabilius, nihil certius, nihil profundius assertionibus fidei Christianæ, dum omnia comportantur.*

O quàm repentè ab adventu & coruscatione visitationis & illustrationis prætactæ recedent ac fugient ab interioribus tuis nebula passionum, caligines inordinatarum affectionum, inquietudines sollicitudinum, tentationes circa mirabilia fidei, obscuritates errorum, & omnia erunt serena, tranquilla, & jucunda in te! Sic igitur ingrediens Christus in te, cœnabit tecum etiam ante prandium, & seipsum proponet tibi in ferculum, dicens: Comede amice, & bibe, & inebriare charissime: comede panem hunc vitæ & intellectus. Degusta & vide quàm dulcis sim ego. Nullus corruptibilis cibus ita delectat & confortat, impinguat, extendit carnem mortalem, quemadmodum contemplatio, degustatio, & internaista refectio Sapientiæ, quæ est Christus, facit fidelissimam animam immortalem.

Porrò, ex ista tam lucida intuitione Sapientiæ æternalis, protinus vehementer accenderetur amore ipsius tuus affectus, & tunc verè Deificè ac supernaturaliter in Christum mutaberis, secundùm quod amor, præsertim supernaturalis, infusus prædominans, transformat amantem in amatum. Cum ǵ, amatum hoc increatum sit vera amabilitatis penitùs infinitæ, ac simul immensæ efficacia ad trahendum ac rapiendum in se, ad alterandum & flammandum ǵ, apicem affectivæ, trahit sæpissimè mentem amantis tam validè, tam prædominanter & gratiosè in se, in divitias gloriæ suæ, in Oceanum deliciarum beatitudinis suæ, quòd apex mentis prorsus absorbetur atque demergitur in ipsam Deitatis abyssum, præ cujus admiratione, intuitione, dilectione, degustatione, complacentia deficit prorsus à se, tamque vehementer mens tota Deitati intenta est, quòd omnes vires sensitivæ inferiores à suis actibus suspendantur, harmonia velut congelatione quadam constringatur, corpus sopitur, membra rigescunt, motiva vis deficit, jacetque caro velut truncus immobilis, nec vivit homo tunc vita animali humana, sed intellectualeque Deiformi dumtaxat.

De his multa leguntur in libris de quibusdam sanctis personis, imò & nonnullis innocentibus præsertim puellis, quæ ad hujuscemodi perfectiones prorsus mirabiles ac divinas perductæ sunt, non solum interdum aut rarò, aut duratione permodica; sed valdè frequenter, & per spatia longa, & quadam serie aut circiter omni die, in omni quoque sacra Communione & celebratione, præsertim sub elevatione. Quòd si quis ista non credat, in promptu est etiam his diebus hoc demonstrare ad oculum. Jacent ac degunt hinc inde devotissimæ puellæ ac fœminæ in sæculo, & in Cœnobiis, & forsitan aliqui viri, in quibus ista & similia agantur & conspiciuntur, quibus DEUS omnipotens & æternus incerta & occulta sapientiæ suæ demonstrat.

Idem *Serm. 4. de Visitatione* B. MARIÆ, explicans illa verba, *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Quantò magis*, inquit, *nos pauperculi & pusilli, Christo ad nos in Sacramento quotidie venienti dicere ex profundissima humilitate debemus: Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus, DEI Patris unicus Filius, ad me?*

Et infrà: *Propterea hospitem istum dignitatis ac majestatis immensæ apud nos, & in nobis incessanter servare infatigabiliter laboremus, faciendo jugiter quæ eum delectant, ut sunt opera charitatis, pietatis, pax, concordia, humiliatio magna, contemplatio divinorum, omniumque actus virtutum. Quòd si ita egerimus, semperque grati ac diligentes fuerimus, libenter valdè manebit nobiscum, & gratiarum suarum charismata augebit in nobis, atque perficiet, qui per Salomonem testari dignatus est: Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum. Et per Joan. in Apocal. Ego sto ad ostium & pulso.*

Præterea, si ita egerimus, abundanter ac celeriter valdè crescemus in omni virtute, præsertim in charitate & dono sapientiæ; ita quòd DEUS in corde nostro quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros nostros quiescet. In intellectu nostro quasi in Cherubim resplendebit, in affectu nostro superiori quasi in Seraphim incalescit, in memoria quasi in throno residebit cœlesti. Tunc suavissimè consolabitur corda nostra, & gratiosissimè mentem nostram præveniet, excessibus quoque inopinatis, repentinis, validissimis rapiet eam aliquando in se, ita ut nec ipsa queat resistere, sed defluens atque deficiens à seipsa tota transeat, transformetur, absorbeatur in Dilectum, & lucis immensa intueatur abyssum, & igne amoris superamabilissimi DEI totaliter incendatur, ita ut si non sapiat nisi DEUS, & cum sponsa decantet: Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexata est me. Tunc anima tam pissimè desuper visitata videbit & affluet, & mirabitur majestatem DEI in se, dignationemque ejus ad se, & dilatabitur cor ejus amplitudine charitatis in tantum, ut omnes etiam inimicos in se comprehendat, universorum salutem cordialissimè appetendo, atque pro cunctis toto affectu rogando.

Denique quantò tunc DEUS gratiosiùs agit nobiscum,

cum quandò plenàriùs cor nostrum illustrat, & suæ Divinitatis altitudinem infinitam clarius ei ostendit, quantò limpidius propriam conspicit parvitatem, vilitatem, defectuositatem, & culpam. Unde & tantò profundiùs seipsam humiliat, gratissima ac humillima loquens: Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me, & taliter agat mecum? Tunc certè in mente omnia sunt serena.

Inseparabilis cũ Deo unio est duodecimus dignæ communionis fructus.

Thaulerus aliis fortsan plenius & clatiùs hanc beatam Christi in Sacramento cum anima conjunctionem explicavit *Institut.* cap. 39. *Duodecimus*, inquit, *idemque postremus Eucharistiæ fructus est, unio inseparabilis cum* DEO. *In hac admirabili unione omnis divinæ perfectionis anima particeps est, tamque perfectè omnibus illius perfectionis, quæ* DEUS *ipse est, suprema virtute repletur, ut nullius omninò rei capiatur desiderio: habens nimirum in illa felicissima unione quidquid vult,* DEUM *videlicet ipsum, & omnia, supremamque perfectionem suam supra modum & tempus in illa æternitate, quæ* DEUS *ipse est. Hæc unio animæ cum* DEO, *felix quædam degustatio est omnis illius beatitudinis, quæ ipse perpetuò supra modum & tempus in illa beatitudine & unione, quæ* DEUS *ipse est, perfruetur, habetque omnem illam perfectionem, quæ creaturæ omnes rationales sine fine in beata illa æternitate, quæ* DEUS *est, perfruturæ creduntur. Denique & degustationem quamdam in tempore gratia habet, quæ inchoatio est divinæ illius unionis, quæ ipsa perenniter* DEO *optimo maximo in æternitate illa, quæ idem ipse est, felicissimè copulabitur. Itaque nec omnes simul mortales verbo vel scripto utilitatem, fructum, atque beatitudinem illam, quæ anima sancta ex Dominici Corporis digna perceptione consequitur, plenè atque perfectè exprimere possent. Ut verò supradictos Eucharistiæ fructus divina nobis misericordia præstare velit, ante & post Communionem devotissimè est obsecrandus.*

Aliis undecim præclarissimi Sac. Cõmunion. fructus legend. apud eund. Thauler. eodem cap. & cap. 38.

Idem *Serm.* 2. de Venerabili Eucharistiæ Sacramento: *Transeamus nunc ad ea quoque* D. *Bernardi verba consideranda, quibus ait:* Digeror, dum transformor; unior, dum conformor. *Sed quando tandem, ait aliquis sæpè memorata finietur afflictio? quis ejus terminus? quòve tandem hominem à seipso deficientem perducet? Ad jucundissimum quemdam finem, nimirum ad felicissimam unionem* DEI, *quæ in* DEUM *transformatur, &* DEO *que unitur & conformatur. Quod nobis Paulus Apostolus, sicut ipse hoc veraciter in tertij cœli schola, in divinæ claritatis speculo didicerat & sucrat contemplatus, liquidò satis probat, dum ait:* Nos verò omnes revelata facie gloriam DEI speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu. *Qui quomodo spiritum hominis in se trahat, rapiat, transformet (quemadmodum D. Augustino Dominus ait: Tu mutaberis in me) ut inquam ista mutatio fiat, illi feliciter experiuntur, qui viam memoratam ritè ambularunt. Contingunt autem eis prædicta omnia non in multiplicitate, sed in pura quadam simplicitate, de quo pauci aliquid dici non potest.*

2. Cor. 1.

Est ìsvenire quosdam in prædictis exercitiis positos, quibus hæc pura transformatio velut in supernaturali quadam coruscatione repentè contingat, nonnumquam semel aut bis in hebdomada, interdum semel, bis, terve, aut sapiùs in die, quoties videlicet divina id eis præstat misericordia, & ipsi ad intimum animæ suæ fundum sese recipiunt. Contingit autem quandoque cum discretione quadam, quandoque sine omni discretione in quadam caligine.

Idem etiam *Serm.* 3. *ut suprà*, de dispositione ad hanc mirabilem unionem agens, ita scribit: *Enimverò hanc ineffabilem & incomprehensibilem Sacramenti hujus dignitatem, nobilitatem, ac divitias veraciter sentire & assequi cupientibus in primis necessarium est, ut abstractè vivant, cum Magdalena otio sancto vacent, solitariè degant, & in interioribus suis commorentur; hoc est, necessaria illis est abstractio, otium sanctum, solitudo, & interioris hominis sedula inhabitatio.*

Quid fac. Cõmunion. fructus supradictos percipere volentibus necessariò præstandum.

Et infrà: *Ubi verò ab externis exercitiis præstatur otium, tunc totum se cum omni sui parte, cum viribus & sensibus omnibus intrò recipiat, recolligat, uniat, & in animæ suæ fundum immergatur absorbeaturque. Sanè quanta hic anima conferatur dignitas, cùm ea prorsus ineffabilis sit, nec verbis explicare, nec intellectu capere valemus. Si enim tanta est claritas & puritas hominis in ea naturali dignitate & qualitate, qualis erat Adæ protoplasti ante præcepti transgressionem, in sola duo natura illa absque gratia constituti, ut nullius hominis intellectus satis eam queat comprehendere; quo tandem modo fieri posse, ut aliquis intellectus hanc supersentialem capiat abyssum, ubi cibus hic vitalis cum homine miro quodam modo unitur, adeoque eumdem totum in se trahat, & in se transformat, ut nulla possit unio conjunctior, nec transformatio verior perfectiorque cogitari? cùm longè verius anima hic uniatur* DEO, *in ipsumque perfectiùs transformetur, quàm guttula una aquæ ingenti dolio infusa misceturin vinum, aut Sol cum splendore suo in eodem vitro uniatur, aut anima denique suo corpori quæ unum hominem unamque substantiam constituunt.*

Animæ cum Deo conjunctio quanta.

In hac autem unione spiritus DEO *unitus supra omnem infirmitatem, naturalitatem (ut ita dicam) & dissimilitudinem suam, supra quoque omnes vires suas, & supra seipsum rapitur, ibique purificatur & illustratur, omniaque opera & totam vitam, cuncta exercitia & instituta illius* DEUS *pertransit atque permanat, cunctaque hac in divinum quemdam modum transeruntur, divinaque redduntur. Hic jam* VERBUM *increatum in anima reipsa nascitur, & (ut dixi) spiritus omnem perdit dissimilitudinem, atque in divinam prosilit unitatem. Sicut enim ignis in lignum agens, humorem, viriditatem, crassitiem illius absumit, ipsumque calidius, ferventius, sicque similius reddit, & quò lignum igni sit conformius, eò amplius omnis ab eo perit dissimilitudo; deinde brevi intervallo temporis ignis omnem ligni materiam adeò absumit, ut jam lignum quoque ignis sit, omnisque intereat tam similitudo quàm dissimilitudo: unum quippe cum igne lignum effectum est, nec jam illi simile dicitur, sed & ipsum quoque ignis appellatur: unitas namque multiplicitatem nescit: sic inquam & spiritualis hic cibus spiritum hominis* DEO *uniti extra omnem dissimilitudinem ad veram similitudinem, & extra hanc ad divinam pertrahit unitatem, ubi jam spiritus illuminatus ac purificatus, dissimilitudinem & similitudinem perdit; quippe in quo fervet Divinitatis ignis amoris omnem absumpsit humorem, crassitiem, dissimilitudinem, idemque hic per cibi hujus operationem in Divinitate se amittit: si.ut & ea Domini verba testantur, quibus ad Augustinum ait:* Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me; nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.

Aptæ similitudinis declaratio.

Idem etiam Auctor cibi corporalis similitudine exponit hujus divinæ unionis incomprehensibilitatem, dicens: *Verùm, antequam hùc perveniatur,* (loquitur de ecstatica ista unione) *natura innumeras priùs mortes subire habet, di-*ver-

Quibus ex moribus qualis vita nascatur.

versaque, incognita, deserta, & mirabiles viæ calcandæ sunt, per quas Dominus hominem trahit, sibique mori docet. Sed quis dicere sufficiat, quàm præclarissima, fructuosissima, deliciosissima vita ex ipsis nascatur mortibus? Planè sibi ipsi mori posse, ineffabile prorsus atque purissimum quoddam bonum est.

Sibi ipsi mori, ineffabile quoddam bonum est.

Certè quotidiana experientia edocti scitis (dilectissimi) quòd cibus corporeus, panis & vinum, & quocumque alio vescimur, priùs in seipso penitùs corrumpi ac deficere habet, antequam in naturæ nostræ substantiam transeat, eidemque uniatur. Multipliciter namque priùs, ut ita dixerim, mori, funditusque in seipso corrumpi & perire ipsum necesse est, antequam perfectè delabatur ad stomachum: hic verò denuò à se deficere habet, priusquam ad hepar, ad caput, ad cor, & ad sensus perveniat, atque his ipsis uniatur, ac demum spiritalis fiat. Hic vero tam sibi ipsi dissimilis effectus est cibus, ut nulla oculorum acies, nec sensus ullus discernere possit, certoque pronuntiare, cibum fuisse. Imò tam subtilis modo est, ut nulla possit ratio consequi vel intellectus, ubi, quomodo nunc operetur, ubive consistat: creditamen potest, sed sensibus haudquaquam apprehendi. Sic ergò multò minùs sciri vel intelligi potest, ut

Spiritus in unitatem divinam transitus qualis.

spiritus hominis in divinam transeat, semper tamen creatura manens, unitatem; cùm adeò hic ipse se perdat, ut nulli exploratum sit intellectui, an umquam creatura fuerit.

Verùm, non desunt, proh dolor! homines stupidi ac stolidi, qui ista carnaliter accipientes, dicant se in divinam naturam transformandos; quod quidem non solùm falsissimum, verùm etiam hæreticum est. Si quidem excellentissimam, intimam, conjunctissimamque creaturæ cum DEO unionem in immensum divina excedit natura & essentia, quippe quæ prorsus infinita quædam abyssus est, quam certè nulla umquam creatura comprehendere valebit. Enimverò cùm nulla sit tanta, perspicax & subtilis creatura, quæ ad admirabiles cibi corporei meatus & vias, aut naturæ humanæ dignitatem, aut quo pacto anima in capite, manibus, pedibusque vitam operetur, ad plenum capere sufficiat; qua ratione fieri possit, ut aliquis abditissimam hanc abyssum penetret, sciatque quid præclarissimus hic cibus in spiritu puro ac illuminato operetur.

CAPVT XXIX.

Plenior divinæ Vnionis animæ cum Christo in Eucharistiæ Sacramento contingentis explanatio.

SED ut plenius hanc Unionem animæ cum Christo ad mentem Scripturæ sacræ, Patrum ac Scholasticæ Theologiæ methodum explicemus, illud primo loco præmittendum duximus, quod & à nobis superiùs, dum de Unione fruitiva loqueremur, pertractatum est; nempe, amorem (ut auctor est D. Thomas 1.2.q.28.art.1.*in corpore*, & *ad* 2.) suapte natura contendere ad unionem non tantùm per affectum, verùm etiam realem amantium inter se, eo modo quo fieri potest: quo sensu D. Thomas adducit & explicat illa

Quid sit Amor. & quæ ejus proprietas.

verba Augustini *lib.*8.*de Trinit.cap.* 10. ut amor sit junctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur. Quod enim dicit *copulans* (ait D. Thomas) refertur ad unionem affectus, sine qua non est amor: quod verò dicit *copulare intendens*, pertinet ad unionem realem.

Idem quoque sanctissimus Doctor *in solutione ad* 2. hac ratione explicat dictum Aristophanis apud Aristotelem 2.*Politic.cap.*2. qui dicebat talem esse amorem ex se, ut virtute illius, si fieri posset, ex ambobus amantibus fieret unus: quia verò hoc impossibile est, amor inquit, quærit reipsa unionem quæ convenit & decet, quæ quidem realis conjunctio, est amoris præcipuus effectus & consummatio.

Superiori igitur capite ex mente Patrum latè probavimus, præter illam unionem, quæ per affectum charitatis dicitur, quæ omnibus dignè suscipientibus Christum communis est, unionem aliam realem, quæ consummata est & verus amoris effectus, aliquando etiam inveniri: hanc verò nihil aliud esse diximus, quàm ipsius Christi illapsum, quo per unitivum amplexum animabus heroicis virtutibus præditis se manifestat, ac percipiendum reali contactu eisdem seipsum exhibet. Oportet igitur nunc latiùs explicare, quibus mentibus, & quando hæc divina contingat unio, & quid tandem illa sit.

Præter unionem quæ fit per affectum charitatis, datur alia realis & per effectum, & quid illa sit, exponitur.

Sed ut certa ab incertis discernamus, illud in primis stabilire oportet, hanc unionem realem consummatam & perfectam, quæ ad ipsius Christi illapsum, sive divinum ejus amplexum & manifestationem consequitur, non in omnibus dignè Christum suscipientibus inveniri: cujus rei ea potest assignari ratio, quia ad istam unionem realem & consummatam animæ cum Christo, non sufficit amor quantumvis perfectus, nec alia dispositio in suscipiente Eucharistiam: nam amoris vis, etiamsi possit aliquando amantes loco conjungere, eosque sibi præsentes efficere, ut sua præsentia reali mutuò fruantur, non tamen eò pertingere potest, ut realem & consummatam unionem ita efficiat, ut una caro vel unum quid reale se invicem amantes dici possint: requiritur enim ulterius corporum inter se attemperatio, ut unum corpus, aut una caro ratione talis conjunctionis esse dicantur. Hæc igitur ratio est, quare ferè omnes dignè suscipientes Christum cum ipso in venerabili Eucharistiæ Sacramento per affectum tantùm uniantur, tarissimè verò reali & naturali unione: nam quamvis hi mutua Christi præsentia gaudeant, tam corporali quàm spirituali & divina, quia tamen illa præsentia Christi corporalis est omnino abscondita, ac fide potiùs credita, quàm experientia tactus, aut alterius sensus percepta, & præterea Corpus Christi non est ita attemperatum & unitum corpori (si regulariter loquamur) eum etiam dignè suscipientium, ut ab illis amplexetur, tangatur, aut sensu aliquo percipiatur; ferè non potest ibi alia unio, quàm ea quę per affectum charitatis dicitur, imaginari; sicut de facto cum DEO per gratiam nobis inhabitante ac intimè præsente, aliam unionem, regulariter loquendo, justi non habent, quàm eam, quæ per affectum amoris & charitatis invenitur. Dixi, *regulariter loquendo*, quia aliquando non sine specialissima gratia justi ad realem, immediatam, & fruitivam cum ipso DEO unionem evehuntur, ut plenius in superioribus scripsimus.

Ista verò unio per affectum charitatis, quam omnibus justis debitè ad Eucharistiam accedentibus communem esse diximus, est proprius effectus istius Sacramenti, de qua etiam propriè intelliguntur illa verba Christi Joan.6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quæ quidem verba expendenda sunt; non enim dicitur *manet in carne mea, &*

Proprius effectus Sacramenti Eucharistiæ qui sit.